



Hunc librum Musis  
suis inservientem  
iure possidet  
Theodor Mahlmann

Comparati milij  
Witels.  
¶ mas. er. q.  
¶ hinc. 4. q.  
¶ Mc. Joha: Leijob.  
anno 1621.

COLLEGII  
DE SACRAMENTIS  
Disputatio Decima tercia  
*De*  
**BAPTISMI**  
**OBIECTO.**

*Quam*

Annuente JEHOVA

SUB PRÆSIDIO

**Dn. BALTHASARIS MEISNERI**

S.S.Theol.D.&P.P. Magnifici p.t.Rector,

*In Collegio privato examinandam*  
*proponit*

**M. MARTINUS WILDE Lubecensis.**

*Habebitur ad d. 5. Novemb. horis pomeridianis*  
*in minori Auditorio.*



WITTEBERGÆ,

Ex Officina Johannis Gormanni,

ANNO M. DC. XX.

COLECCIO  
21741 N. 282 R. 2

Dibutio Dicimus Lachif

# IMPETUO OBCLIC

АУОКА (ЭИДОНО)

1912 № 8 № 2

Д. ВАЛТАЛА ГРАНТИЯ СИНЕРИ

Фото: А. Д. Красильников

Л. С. Григорьев

А. Абакумов

М. А. Тимофеев

А. А. Борисов



SCROLLS OF THE BIBLE  
THE BIBLE IN SCROLLS

**R**ecita nunc cum Bono  
Deo ad Baptismi Objectum descen-  
dimus, cuius cum latissimus sese ape-  
riat campus, chartarum angustia  
me esse breviorē, & quodlibet, suis instrūtum ar-  
mis, certis carcerebus includendum subet. Id quod  
tribus, quorum primi Baptizandos in genere; se-  
cundi Adultos; tertii Infantes exhibebunt, optimè  
perfici posse, videtur.

## I. DE BAPTIZANDIS IN GENERE.

i. Vivi solum homines, tam viri quam  
mulieres, tam cœlites quam conjuges, ba-  
ptizandi sunt.

Hanc thesin quoad prius membrum suffultam  
dant i. Christi mandatum Matth. 28,19. 2. Apo-  
stolorum exemplum. 3. Indigentia. Ioh.3,6.  
4. Effectus capacitas. 5. Circumcisio, Baptismi  
typus. 6. Universalis Ecclesiæ praxis. Quoad secun-  
dum vero i. Iohannis exemplum Matt. 3,5. 2. Man-  
dati universalitas, Matt. 28,19. 3. Doctrinæ ca-  
pacitas. Matth. 28,19. Marc. 16,15. & 16. Unde ita  
argumentamur: Qui docendi, iidem & baptizan-  
di sunt. Fœminæ est docendæ. E. 4. Ecclesiæ (quæ  
& fœminas comprehendit) per Baptismum, à pec-

cato mundatio. Eph. 5, 26. 5. Sexus in N.T. sub-  
lato Galat. 3, 28. 6. Ex carne genitura Ioh. 3, 5.  
7. Ecclesiæ Apostolicæ praxis. Act. 8, 12. c. 16, 15.  
**Ultimum** mandati universalitas, & Apostoli-  
cæ Ecclesiæ exempla *contra Marcionitarum*  
*insultus fortiter sati tueruntur.* Act. 10, 47. c. 11, 17.

2. Hique omnes nisi ipsi mer contra se-  
ipsos consilium D E I contemnant, & se sa-  
lutari hoc lavacro indignos judicent. Matth.  
28, 19. Marc. 16, 16. Luc. 7, 30.

3. Adeò ut & monstra, quibus animata  
in esse rationalem vel minimo appareat in-  
dicio, non sint excludenda.

4. Nec, de quorum Baptismo certi esse  
non possumus, hoc salutis medio privandi  
sunt.

5. Ab hoc igitur sacramento abesse ju-  
bentur mortui, campanæ, & aliæ res inani-  
matæ & irrationales.

Nakum enim in sacris de hisce rebus baptizan-  
dis extat vestigium. Nam quod Marcionitæ, (ut re-  
fert Tertullianus lib. de resurrectione carnis) abusi-  
t. Cor. 15, 29. vivum sub lecto demortui non-bapti-  
zati pro eo baptizarint; Ut & Cataphryges ( Au-  
gustino teste hæresi 26.) ipsos quoque denatos; Fal-  
sam sententiæ Apostolicæ assuerunt explicacionem.  
Nam (missis aliis interpretationibus) hujus loci ut  
commodissima, ita verissima est sententia Lutheri,  
qui Apostolum ad morem Ecclesie antiquissime usi-  
tatum, quo baptizandos ad mortuorum sepulcra  
dedu-

deductos baptizant (ut habet Epistola Smyrnensis  
Ecclesiæ, apud Euseb. l. 4. hist. Eccles. c. 15. Et August.  
lib. 20. de civ. Dei c. 9.) respexit, autumat. Quo se  
cum Christo mori peccatis; pro Christo mori, se esse  
paratos; Seq[ue]nt certissimam resurrectionis (id quod  
vult textus) spem fovere, docerent. Nec illorum  
mens textui adversatur, qui de mortuorum ablu-  
tionibus (Act. 9. v. 37.) verba Apostoli accipiunt.

## II. DE BAPTIZANDIS ADULTIS.

1. Non ut infantibus, ita indiscretim ad-  
ultis Baptisma conferendum est.

Nam hoc requirit 1. Ordo à Christo apud adul-  
tos servandus institutus Matth. 28, 19. 2. Ecclesiæ  
primitivæ praxis, cuius indicium & Matth. 3, 6. &  
in abrenunciationis (quam vocant) formula habe-  
mus. 3. Nonnullorum actualis reluctantia.

2. Nec iij, quos turpis tantum lucri, aut  
alius terreni commodi causâ Baptisma ex-  
peter notum, admittendi sunt.

3. Sed, qui se, posthabito omni quaestu,  
Paganismo vel Pseudo-Judaismo ex animo  
valedicere; Christianorum doctrinam in-  
telligere, amplecti & profiteri, (censurâ in i-  
psorum vitam susceptâ accuratissimâ) Christi Ec-  
clesiæ probarint, Act. 8, 27.

4. Furiosi autem, quos quidem nativi-  
tas amentes produxit, infantum jure gau-  
dent. Quos vero post nativitatem furor in-

A 3 vasit,

vasit, vel qui ex intervalli furore corripiuntur, ex voluntate, quae recte habentes fuerint, estimandi sunt.

5. Nec qui jam fide imbuti sunt, ab hoc se salutis fonte subducant.

Vult hoc i Generale Christi mandatum. 2. Expressa exempla, Eunuchi Acto. 8, 37. Cornelii c. 10, 46. &c. 3. Circumcisio (Baptismi typus) in Abraham. Nam non solum Baptisma (ut & circumcisione) initiationis, sed & confirmationis, & adiunctionis est Sacramentum.

6. Et, qui animo antea simulatio Baptisma suscepereunt, post paenitentia acti, Baptismane iterent.

Hominum enim incredulitas fidem DEI non evacuat, Rom. 3, 3.

7. Ne que, qui baptizari renuunt, vi adiungiendi sunt.

DEUS enim voluntario solum cultu delectatur Psal. 110, 3. 1. Paralip. 29, 5. Exod. 35, 5 ideoque illud, compelle intrare Luc. 14, 23. non violentiam, sed per verbum, miracula, & piorum afflictiones persuasoris vehementiam poscit.

8. Quod denique Christum attinet, & ille, non quidem sui ipsius, sed officii, nostri causâ sucepti, ratione baptizari voluit.

Sic enim oportuit ipsum omnem justitiam implere, Matth. 3, 16. Quod est i. probatum & confirmatum non solum Baptisma, sed & totum Iohannici ministerium dare. 2. Suo nos exemplo ad Sacra-

mento.

mentorum usum allicere. 3. Ad suum officium initiari. 4. Arctissimam capitis cum membris unius Baptismi susceptione conglutinationē probare. 5. Nostrum Baptisma sui sanctissimi corporis contactu sanctificare. 6. Et in nostro Baptismo cœlum esse aperatum, & Spiritum S. descendere, demonstrare. 7. Suæ passionis & mortis Baptisma, (Luc. 12, 50.) pro abluendis nostris peccatis in se receptum, adumbrire. 8. Umbram summi sacerdotis inauguratione per corporis ablutionem & olei affusionem delineatam inducere; & publica SS. Trinitatis testimonio quasi ordinatum Evangelii ministerium impostum inchoare.

### III. DE BAPTIZANDIS INFANTIBUS.

I. Multos infantum Baptismo, partim apertâ vi, partim per cuniculos se opposuise, & antiquissimorum Patrum, & nostra vidit, atq; adhuc videt ætas.

Fuerunt enim tempore Bernhardi (ut ipse habet sermone 66. in Cant. & Epist. 240.) qui contendebant, Baptismum infantibus conferri non debere. Alii trigesimum etatis annum ad Christi exemplum baptizandi præfinierunt. Alii ad ultimum mortis articulum Baptisma differendum statuerunt. Anabaptistæ quantas superiore tempore dederint turbas, chivis notum. Quorum Sathanicas plane, quas in hoc SS. lavacrum evomuerunt voces, videre est apud Luther. tom. 4. Ienensi German. fol. 43a. Nec Zwinglius pro hoc lolio semina sparfit occulta

in libro de Baptismo concl. 18. ubi haec leguntur verba: melius esse, ut infantes tum primum baptizentur, cum adulto sint; Et pueros docendos primum, ac ita demum baptizandos esse. Quem tamen error rem in Disput. 3. Tigurina Anno 1525. recantavit. Vide D. Mylium p. m. in Aug. Confess. Artic. 9. fol. 158. Inter hos hodie agmen ducunt Neophotiniani, ne ex Socino. Osterodo, Smalcio, aliis patet.

2. Proinde quanto minus suam infantes agere possunt causam, tanto majore cum diligentia eorum patrocinium nos suscipere addebet.

3. Infantes igitur hoc Sacro lavacro vel maximè tingi oportere statuimus.

Firmissimis autem hisce innitimus fundamen-  
tis. 1. Baptismi ex communilabe tollendā ortae ne-  
cessitati, Ioh. 3, 5. & 6. 1. Cor. 15, 50 2. Universali  
& benevolæ Dei voluntati, quæ omnes homines  
vult salvos fieri, 1. Tim. 2, 4. 2. Pet. 3, 4. Matt. 18, 14.  
3. Parvolorum vocationi. Matt. 19, 14. Marc. 19,  
14. 15. & 16. Luc. 18, 15. 4. Infantum ad Ecclesiam  
(quæ aquæ lavacro dicitur mūdata Eph. 5, 26.) ag-  
gregationi. 5. Divinis promissionibus. Gen. 17,  
7. Act. 2, 38. & 39. 6. Generali Christi mandato.  
Matth. 28, 19. 7. Sacramentorum amplitudini,  
quæ se ad singula Ecclesiæ membra extendunt, usq;  
dū ipsa scriptura aliquos excipiendos edoceat. 8. Fi-  
nibus & effectibus Baptismatis, qui etiam in-  
fantes attinent Act. 2, 38. c. 22, 16. Eph. 5, 26-27. Ioh. 3,  
3. Tit. 2, 5. Gal. 3, 27. Col. 2, 12. 1. Cor. 12, 13. Mar. 16, 16.  
4. Pet. 3,

1. Pet. 3,21. 9. Impedimenti sive quoad DEUM, si-  
ve quoad ministrum, sive quoad ipsum Sacramen-  
tū, sive deniq; quoad infantē, negationi. 10. Pro-  
pheticæ prædictioni, Esa. 49,22. & typis i. cir-  
cumcisioni Col. 2,11. & 12. ubi notandum, quo-  
quid infantum Baptismo oggeratur, id omne per  
circumcisionis instantiam expirare. 2. Israëlitarum  
cum infantibus per mare rubrum transitui i.  
Cor. 10,2. 3. Arcæ Noæ, ii. Pet. 3,21. II. Apostolorum  
praxi, & vetustissimæ Ecclesiæ testimoniis  
& exēplis, Act. 16,15. & 33. c. 18,8. i. Cor. 1.16. Hinc  
Origen. in c. 6. sup. Epist. Rom. Ecclesia, inquit, ab A-  
postolis traditionem accepit, etiā parvulis dare Ba-  
ptismum. Et Aug. l. 1. de peccat. meritis c. 16. hæc ha-  
bet verba: Traditio hæc (de Infantum baptismo ser-  
mo est) à Domino per Apostolos manavit. Vide plura  
apud Jacob. Pamelium ad Epist. 59. vel ut aliis Epist;  
8. Cypriā. l. 3. Bellarm. l. 1. de Baptismo c. 8. Greg. De  
Valentia thesi 4. disp. 4. quest. 3. punto 1. Consule &  
Magnif. Dn. Rectorem, Claris. nostrum præsidem in  
brevi consideratione Theol. Photinianæ, ap. 595.

4. Cum argumenta in contrarium allata etiam nullius fint ponderis.

Nam quod I. attinet Scripturæ quoad ipsas vo-  
ces (infantes sunt baptizandi) silentium; Op-  
ponimus 1. affirmationis Silentio negationis reticē-  
tiam, 2. De mulieribus, hæc vel illa gente, hoc vel illo  
nomine in individuo baptizando firmissimam da-  
mus instantiam. 3. Sub generali mandato de gen-  
tibus baptizandis infantes comprehensos, intre-

A. S. pide

pidè afferimus. 4. Exempla præcedentis thes. argu-  
mento ii. produximus sat luculenta. II. Innocen-  
tiam & labis carentiam impugnat tota Scri-  
ptura, præcipue Ioh. 3, 6. Eph. 2, 3. &c. Et intercivi-  
lēm sive politicam & Spiritualēm sive Theologicām  
innocentiam tollit distincō. III. Nec ordo ver-  
borum Matth. 28, 19. quicquam adversariorum  
causam juvat. Nam 1. distinguimus inter Ecclesiam  
constitutam & constituendam. 2. Si verborum or-  
dine pugnandum, à nostris is magis stat partibus.  
3. Ideoque negamus eo in loco simpliciter require  
ante Baptisma institutionem : Sed generale 1.  
Christus dat mandatum ( magisteriate, facite  
discipulos ) cuius modum in specie postmodum sub-  
jungit, nim. Baptizando & docendo. IV. De fœde-  
ris in Baptismo ineundi infantum ignorantia  
non est, quod multum laboremus. Opponimus enim  
1. circumcisorum infantum, instantiæ loco, exem-  
pla. 2. Et politicū fœdus non semper in omnibus  
individuis fœderis noticiam requirit, cum parentes  
suos infantes fœderis ignaros ut plurimum non ex-  
cludant. 3. Christum infantes habere sponsorem &  
advocatum, addimus, 1. Iohann. 2, 1. Matth. 19, 14.  
4. Quin & cum creaturis tam rationalibus quam  
irrationalibus suum Deus fœdus sancit Genes. 9, 10.  
5. Quamvis igitur infantes ex se non intelligent,  
neque ita credant; Spiritus tamen S. in iis fidem  
accedit, quia Christum suis cum beneficiis arri-  
piant. V. Fidei in non-baptizatis infantibus ab-  
sentia ades hanc gratiæ fanuam illis non præclu-  
dit.

dit, ut potius aperiat. Nam sicuti verbum non prodest, nō si fide misceatur, Hebr 4, 2. & tamen incredulis, ut credant, prædicandum est: Ita etiam si baptisma sine fide neminem a peccatis purget. & vita eterna donet; Conferendum tamen non credentibus infantibus vel maxime erit, ut per hoc (cum illi non aliud detur ordinarium medium) fidem concipiant, & aeternam salventur. VI.  
Cœnam infantibus alias quoque offerendam quod obiiciant; Respond. 1. non esse eandem utriusque necessitatem, cum cœna sit Confirmationis, Baptismus vero etiam Initiationis Sacramentum. Nee locus Ioh. 6, 53. de Sacramentali sed Spirituali carnis Christi esu loquitur. 2. Cujusque Sacramenti institutionem attendendam esse: Quæcum in cœna sui probationem (1. Cor. 11, 28.) & mortis Christi recordationem (Luc. 22, 19.) requiriat, infantes excludendi innuuntur.

5. Adeo autem infantibus Baptisma necessarium esse, concludimus, ut Ethricorum, Iudaorum, aut hæreticorum liberi si in plenariam nostram potestatem deveniant, ab hoc sacro lavacro arcendi non sint.

Hoc ex circumcisionis institutione manifestum est, Genes. 17, 12.

6. Nec spuriis, aut ex adulterio natis accessum præcludimus.

1. Quia filius non portabit iniquitatē parentum, Ezech. 18, 20. 2. Et Jephtha ciriñi, & inter fideles numerati (Heb. 11, 32.) exemplum sat clarum est Iud. 1, 1. Nec contrarium potest demonstrari i. ex Deut. 23, 2. Cum ibi nō

ingressus externus & corporalis, nec internus sive spiritualis; sed officialis ordinarius (nam Iephata magistratus extra ordinarius fuit) intelligendus veniat. Exempla expressa habemus Eunuchorum & Moabitarum, qui & ibi ab ingressu prohibentur v. i. & 4. Et tamen non nulli fuerunt DEO accepti, ex quibus Ruth Moabitis in Christi genealogia assumta est, Matt. 1, 5. Et Eunuchi Esa. 56, 4. DEO carissimi perhibentur. Causa v. cur Deus spurious a publicis officiis voluerit remotos, haesunt praecipue. 1. Matrimonii dignitas, 2. a scortationibus avocamentum. 3. Publicarum personarum auctoritas. Nec 2. ex Sapientiae 3, 16. Aut enim eos intelligit Sapiens, qui vitium parentum (ut plurimum fieri solet) perseveranter insistunt: (nam alias in contrarium prodicimus Iepheten Heb. 11, 32. & filiolum Davidis 2. Sam. 13, 23.) aut implicitos non spiritualibus, sed corporalibus patris liberationis spem non habere. asserit.

7. Non tamen, vita defunctis matribus, ipsi foetus in matris utero ritè baptizantur.

Non enim regeneratus dici potest, qui natus nondum est, cum Baptismus sit regenerationis lavacrum. Vide Luth. tom. 12. VVireb. p. 292.

8. Ultimò à Calvinianorum aliorumq; iniuria infantum fides erit propugnanda.

9. Infantes igitur ordinariè per Baptisma solum actu credere afferimus.

Hanc nostram sententiam non una probat argumentorum classis. Nam 1. expressa continet Scripturæ oracula, Matt. 10, 6. Marc. 9, 42. c. 10, 13. seqq. Luc. 18, 15. seqq. ubi omnia verba diligenter expendenda, Christum nos (adat)

(adultiores non infantes) jubere conformari puerulis,  
si regnum cœlorum (quod fide solum obtinemus) in-  
gredi cupiamus. Nec scandalizatio, Christum nobis in  
exemplum adultiores, (quibus nim scandalum obici pot-  
est) proposuisse, demonstrat. Quia aliud est scandalum  
reale, sive realis læsio (sicuti Marc. 9, 42. & c. 10, 14. hæc  
scandalizatio exponitur) & aliud morale, in dictis &  
factis obscenis consistens: Quamvis igitur non hoc tamen  
illud in infantes cadet. Et quamvis vel maxime trium vel  
quatuor annorum puerulos intelligas, ea tamen etas ar-  
ticulorum fidei capax esse non potest. II. Fidei proprie-  
tates infantibus attributas i. Ioh. 2, 14. Psal. 8, 3. confer i.  
Cor. 16, 22. cum Matt. 18, 3. III. Veræ fidei effectus, confer  
Matt. 19, 14. cum Ioh. 3, 18. Item Ioh. 2, 4. Tit. 3, 5. Gal. 3, 27.  
Act. 4, 12. Marc. 16, 16. IV. Circumcisionis (qua tam in  
infantibus quam adultis fuit justitiae fidei signaculum,  
Rom. 4, 11.) analogiam. V. Absurda adversariorum sen-  
tentiam sequentia. Nam i. aliud salutem consequendi  
medium habebunt infantes; aliud adulti, contra expre-  
sa Scripturæ dicta, Act. 15, 11. Rom. 3, 28. Gal. 2, 46. 2. Sacra-  
menta sine fide proderunt. 3. Baptismus in infantibus  
non entis obsignatio erit. 4. Inter duo extrema im-  
mediatè opposita (fideles & infideles Ioh. 3, 18.) interce-  
det medium. VI. Impedimentorum absentiam.  
Impedimentum enim aut erit physicum, nempe usus  
rationis defectus: Aut hyperphysicum, verbi nim. di-  
vini auditii & intellecti negatio: Quorum illum in causa  
non esse, exempla circumcisorum & Iohannis Baptistæ  
innuunt: Hanc autem ipse supplet Baptismus.

10. Hic v. Calviniani, cum Anabaptistis non  
unam fovent contraria sententiam.

Cal-

Calvinus enim non vult certi quid decidere de infantum fide. Videatur tamen in affirmantem magis inclinare partem. Vide Calvin. l. q. instit. c. 16. §. 19. & 20. Beza et alii n. xpiorum fide infantes salvari statuit responsione secunda ad acta p. 99. & 102. Hoc negat Zepperus, urgens imprimis Habacuc 2. 4. l. 3. de Sacram. c. 8. p. 271. In eo autem contentant omnes, infantes propriè dictam fidem non habere, & quam habent fidei esse exigua & latu scimus. Nam, eam non per Baptisma, ideoq; nec omnes, sed solos electos à primo statim ex utero egressū obtinere.

II. Operae igitur pretium erit, præcipua enim argumenta contra actualem infantum fidei non producta, excutere.

Quod igitur I. Usus rationis absentiam attinet.  
respondi. 1. eam (ut taceamus Scripturam infantibus fidem tribuere, quod supra probavimus) non tam impedit, quam promovere fidem, cum & adulti captivare mentem sub fidei obsequiū jubentur. 2. Iohannis embryonis exemplum regerimus. 3. Ex regenerationis capacitate (nihil obstante rationis usus denegatione, quod ipsi concedunt) fidei præsentiam demonstramus.  
II. Nec obtinere aliquid possunt, quod fides dicatur esse ex verbi auditu, Rom. 10, 17. Nam (ne repetam ad I. argumentum datas respons.) 1. verbum & Sacramenta non sunt opposita, sed coordinata, & subordinata, ut, quod verbum in nonnullis orationib; defectum efficeret non potest, id per initiationis Sacramentum Spiritus S. præstet. Sicuti concludere non possum. Renascimur ex aqua & Spiritu Ioh. 3, 5. E. non ex immortali verbi divini semine. 1 Pet. 1, 23. Ultrumq; enī prius de infantibus; posterioris de adultis verum est. 2. Ideoq; locus allega-

tus

bus de adultorum, vel Ecclesiæ constituendæ fide lo-  
quitur, quæ male infantum, vel Ecclesiæ constitutæ  
fidei opponitur. III. Ex noticiæ & assensus negatione  
fidei absentiam inferre laborant, cum i. Cor. 14, 29. lega-  
tur: Ne sitis intelligentiæ pueri (qui distantiam vñi &  
mali ignorant Ien. 4, 11.) sed malitiæ. Opponitur iterum.  
1. exempla Johannis, & puerorum credentium.  
2. alia itaq; est ratio fidei infantū & adultorum quoad  
actus præcedentes & consequentes: In ipsâ tamen  
fidei essentia (fiduciali Christi apprehensione) convenit.  
Neq; 3. omnem ipsis cognitionem DEI præcidimus  
cum ipsorum sit regnum cælorum, quod in DEI patris &  
filii missi cognitione unicè consistit, Ioh. 17, 3. Hinc ipse  
Johannes dicit, puerulos DEUM patrem agnoscere.  
4. Ioh. 2, 14. Qualis v. ea sit noticia, nostrum non est inqui-  
rere. Discamus tantum Scripturæ obedire; & 4. inter  
naturalem & supernaturalem cognitionē distinguere.  
5. Et si omniō concederemus noticiæ in infantibus aren-  
tiam, nihil ipsorum fidei præjudicaret. Alias enim &  
dormientes, & amentes, qui actu non intelligunt, fide  
destituerentur. IV. Articulorum fidei, cum adoleverint  
infantes, ignorantiam opponunt. Ubi i. prius datam de  
Johanne & puerulis credentibus instantiam repe-  
timus. 2. regenerationis & renovationis, quæ tamen  
ipsis vere obtigerunt, ignorantia idem enervat. 3. Inter  
habere fidem, & de fide respondere, distinguimus. Ut  
& 4. inter historicam fidei noticiam, & fiducialem  
Christi apprehensionem. V. Absurdum nullum est, du-  
plicem conferendæ fidei rationem esse. Nam si in specie  
consideres: Alias una tantum generalis datur,  
DEI, verbum, quod vel visibile vel audibile est.


Cum

Cum i. verbū & sacramenta nō sint opposita. 2. Ipsae  
regeneratio dupli modo fiat Ioh.3,5. & Pe.1,23. Et 3. du-  
plex sit hominū salvandorū, altera adulorum altera in-  
fantū classis. VI. Miracula in singulis infantib. edenda  
quod obiiciunt ; agnoscimus quidem rem mirabilem,  
& humanum captum longè superantem in infantibus  
DEI virtute fieri, sed ordinariè : Proindeq; non miracu-  
lum : Cum quicquid ordinariè sit lege , non sit miracu-  
lum. Neg; VII. ullam incurrit absurditatem, Baptismum  
& fide suscipi & per Baptismum fidem excitari.  
Cum nihil sit absoni, verbum esse causam fidei, Rom.10,  
17. & idem fide labore apprehendi Heb.4,2. Sic Spiritu-  
rum S.orare in nobis, pro nobis, & à nobis adorari.  
Quin & Christum esse Sacerdotem & sacrificium,  
hospitem & ipsum cibum in Eucharistia. Refutatis  
igitur, & rejectis adversariorum argumentis ; concludi-  
mus, infantibus fiducialem Christi, eamque  
actualem apprehensionem negari  
non posse.

F I N I S.

MANUSCRITUM  
M 192. 1805. 6925





# Farbkarte #13

B.I.G.

Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
3/Color  
Black

Inches  
Centimetres

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

LEGII  
AMENTIS  
Decima tertia  
de  
ISM  
EGTO.  
*iam*  
JEHOVA  
ÆSIDIO  
ARIS MEISNERI  
Magnifici p.t.Rector,  
ato examinandam  
ponit  
WILDE Lubecensis.  
vemb. boris pomeridianis  
ri Auditorio.  
(  
BERGÆ,  
annis Gormanni,  
A.D.C. XX.

